



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. VII. Continens Librum D. Augustini de Gestis contra Pelagium in
Concilio Palæstino per 22. capita distributum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

à vera eius mente, atq; sententia in nulla re graui, aut alicuius momenti discédamus, non ex nostro capite, sed ex antiquis eius expofitoribus, ac fèctatoribus, & vbi illi defuerint, ex varijs eiusdem locis inter fe collatis eam eliciendo. Quia verò vt homines interdum ab fècupo errare possumus. quidquid in hoc opere dixerimus, Apoftolicæ Sedis Iudicio humiliter fubijcimus.

C A P V T VII.

De libro D. Augustini de Gestis contra Pelagium in Concilio Palestino, per 22. capitula distributo.

Monitum Lectorem volumus opus hoc de Gratiæ editione posthumum, multo ante annum 1614. scriptū fuisse ab auctore, quod ergo hodie Augustini operibus Parisijs excussis prædicto Anno 1614. Liber de Gestis Pelagij insertus circumferatur, neque veritatem eleuat eorum, quæ hoc in capite præfatur Suarius, neq; deprimit vtilitatem, sed potius mutuam sibi Parisiensis, Conimbriensisque editiones auctoritatem concilient.

DE Actis in hoc Concilio multo tempore fuisse Augustinum sollicitum, eaque vahementer desiderasse, & petiisse, ex epistol. eius 252. ad Ioannem Hierosolymitanum manifestum est: tandemque illa obtinuisse, & super illa librum quendam ad venerabilem Senem Aurelium scripsisse, ipse testatur libr. 2. de Peccat. orig. capite 14. & in libr. 2. Retract. capite 47. vbi causam addit, ne illo (id est Pelagio) quasi abfoluto, eadem quoque dogmata putarentur iudices approbasse,

quæ ille, nisi damnaffet, nullo modo, nisi damnatus, exisset. Hic ergo liber hætenus desiderabatur, quia inter opera Augustini typis mandata non continetur, ante paucos vero Annos primum inuentus est in Bibliotheca manu scripta Abbatæ Sancti Bartholomæi Fesularum Canoniorum Regularium Lateranensium, & postea alius liber omnino similis inuentus dicitur Floræ in Bibliotheca magni Dicis, vt à viro quodā nobili, docto, ac fide dignissimo accepi, de cuius manu exemplar habui, quod fidelissimè transcripsi. Cumque illum attente legissem, non solum ex indicijs, ac coniecturis probabilibus, & ex graui hominis auctoritate, sed etiam ex phrasi, & discursu libri, & Augustini opus esse, eiusque ingenium præ se ferre, & doctrinam continere, manifestè comperi. Et quoniam ad huius nostri operis perfectionem vtilissimum, ac fere necessarium esse existimamus, & an ab alijs promulgandus sit ignoramus, illum hoc loco præmittendum duximus, nihil omnino de verbis Augustini immutando. Quia vero in eodem exemplari varix interdum lectiones notabantur, quæ nobis magis placuerit, in textu ponemus, alias, vbi res clara videbitur, omitemus, vbi vero fuerit dubia in marginem reijciemus, & cur vnā præ alijs eligamus, interdū proferemus. Vbi deprauatus videbitur textus nihil immutabimus, illius tamen correctionem, quam aptiorem iudicauerimus, adnotabimus. Simili ratione cum in eodem exemplari liber hic in capita diuisus sit, & diuisio non videatur ab Augustino facta, quia multis in locis minus apta, minusque rationi consentanea nobis visa est, alio commodiori modo capita diuidemus, semper tamē antiquam diuisionem in margine adnotabimus. Ac denique vbi opportunum videbitur, breue aliquod scholium literis A. B. &c. indicatum ad maiorem rei declarationem, aut confirmationem adijciemus. Liber igitur sic habet.

